



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. VI. Causæ iustæ, ob quas bella moueri possunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAPVT VI.

Causæ iustæ, ob quas bella moueri possunt.

Fia sunt arma, cum in solis armis spes est.

§. 1. PRIMÆ est, eaque omnium iustissima, si bellum iniustum inferatur. Duobus autem modis iniuste infertur. Primo cum innocentibus, vt Moabitæ Judæis indixerunt bella non iusta; itemq; Antiochus, aliq; quorum pro dolor, historia plena est. Altero modo, cum initio bellum fuit iustum, sed non acceptatâ satisfactione redditur iniustum. v.g. Ottomanicâ nauē cōtra fœd^o capiunt Veneti, Turca bellum indicit, Veneri nauem, merces, epibatas, damna omnium restitunt, pro honore, & auctoritate Imperatoris læsâ satisfacturos esse promittunt, idq; vel ad arbitrium ipsius, si æqua iubeat, vel arbitrorum, si eos dare velit. Quod si omnino bellum moueat, dediq; sibi Rempubliam nobilissimam velit, merito omnibus viribus resistent; quia peccatum tantum non est, vt crudelissimo hosti tradere se debeant, & cum libertate etiam religionem disperdere.

Hæc causâ adeo non modo iusta est; sed etiam necessaria; Tam enim Princeps qui Rempubliam non defendit, quam qui aliena inuadit, contra iustitiam peccat. Itaque aduersum inferentem damnum non modo iusta, sed necessaria est defensio. Hic audacter pronuncio. Qui desiderat pacem præparet bellum, Hic præcipue locum habet illud Isocr. *ὅτι ἀδύνατον δὲ τὰς πόλεις τῶν δικαίων κινδυνεύειν μέλλοντας, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τὰς ὑπερβόλως.* Non oportet deiecto animo esse eos, qui pro causâ iustâ periclitantur sunt, sed qui iniuriam inferunt. Chilon inter Principem bonum & tyrannum hoc interesse dicebat, & ex eo eos agnosci, de quo controuerterent. Tyrannum alieno incubare, Principem sua defendere.

§. 2. Altera causâ est rerum ablatarum detentio. Nam vt ciues, qui iudicem habent, cum aliquid ablatum est, id iure repetunt, aduersarioq; diē dicunt, ita Respubl. cum frustra repetitum res suas legatos misit, bellum parat, & indicit. Varia porro est causâ repetendi res, tamq; diuersa, quàm in ciuitate. Nam vel furto vel rapina ablata, vel non reddita, quæ deposita erat, vel jus negatum ciuib; vel hereditas detenta.

Iustum bellum est, cum deprædationibus vicina fert, agitq; hostis: tale cum Illyricis gessit populus Romanus, & Gallis, & Barbaris deinceps gentibus. Pro rebus enim quas simul habere non possunt, infelici egestate depugnant, hanc pacem requirunt bella laboriosa, adipiscitur gloriosa victoria. Nam id eo magni diuitesq; impetuntur: quercus enim ventus euertit, quia glandibus & frondibus oneratur, salices immunes sunt. Sic tutiores diu Britanni fuerunt, quia vnciam auri in eâ negabant esse. Bellum etiam gerunt, cum jus ciuib; negatur, aut negotiatores detinentur. Qualia inter Septentrionales multa priscis temporibus fuerunt, & atrocia prælia. Cum inique hereditas diuiditur, contra Jugurtham, qui cum Adherbale regni diuidendi ius adoptione acceperat, legatosque, & Imperatores Romanos precio corrumperat, eam ob causam bellum gestum est, quia patricium iunxerat.

§. 3. In hisce causis non modo magnitudo damni spectanda est, quæ interdum bello digna non est, sed hostium ppositum bella quærentium; qui, si primis iniurijs obuiam non eatur, ad secundas tertiasque erunt audaciores, actum maioribus damnis acceptis, animis tuorum debilitatis, cum fidentioribus depugnandum erit.

§. 4. Bellum etiam crebro vindictæ causâ sumitur, cum quacung; in re hostis læsit, nec bellatur, vt res re-

cipiantur, quippe q̄ vel ablata non sunt, vel absumpta; sed vt improbi puniantur, atq; hac ratione tutior sit Respublica. Vltionem quidem præstare sibi nemo debet, sed tamen Respub. iniurias suas inultas sinere non debet; siue illæ à priuatis siue ab alia Republica inferantur. Quia gladium habet in vltionem malefactorum, eo igitur cum ratione vti debet.

§. 5. Bellum etiam geri potest, cum religio impetitur, & Deus blasphematur; duobus id fit modis. Primus si externi improbe viuunt, Deumq; contumelijs afficiant, nec alijs tamen noceant. Deinde cum dolo, fraude, vi in eadem peccata abducere alios conantur, atque id faciunt. Si sibi tantum improbi sunt, & blasphemii, bellum contra eos gerere non licet eâ solum causâ. Quia Respub. non est alterius Reipub. iudex; peccata a. punire iudicis est. Dei tamen monitu expresso, & iussu, inferre bellum possunt. Ita Josue Dei imperio Chanaanos occidit, quia jam completa erant iniquitates eorum: Moabitæ & Idumæos non multo meliores non attigerunt, quia mandatum de puniendis illorum scelerib; non habuerunt.

§. 6. Cum verò per vim aut fraudem sua vitia inferre Reip. conantur, iustam etiam dant belli occasionem, ita contra Antiochum, aliosque ad Idololatriam vi impellentes iustissima bella Maccabæi gesserunt.

§. 7. Nec modo, cum vi & armatâ manu, sed etiam cum fraude & blanditijs subditorum animos ad flagitia sollicitant. Moabitæ & Madianitæ occupata per Moysen Balanitide, regionibusq; vicinis cum bello se impares viderent, Israëlitas hospitaliter, vt fratres susceperunt, munera dederunt, filias hospitum curâ habituras miserunt, vt per speciem amicitie, iungendorumque matrimoniorum, illos ad fortiorum adulteriâq; deinde amore meretricio labefactos ad idololatriam pellicerent, quo facto, vt Balaam coniectauerat, Deus offensus illos aut penitus deleteret, aut sanè auxilio destitutos cælesti, vincendos hostibus præberet. Et dolus successit, Num. 25. Morabatur autem eo tempore Israel in Setim & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: At illi comederunt & adorauerunt Deos earum. Initiatusq; est Israel Beel-phegor: & iratus Dominus, ait ad Moysen. Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: vt aueratur furor meus ab Israel: Dixitq; Moyses ad iudices Israel, occidat unusquisq; proximos suos qui initiati sunt Beel-phegor. Pro hoc crimine c. 31. grauis vltio expetitur. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Viscerare prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum: statimq; Moyses, Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum. Dederuntq; millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam: quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazar Sacerdotis, vasaq; sancta, & turbas ad clangendum tradidit ei. Cumq; pugnasent contra Madianitas atq; vicissent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum Eui & Recem & Sur, & Hur & Rebe, quinq; Principes gentis: Balaam quoq; filium Beor, interfecerunt gladio. Ceperuntq; mulieres eorum & paruulos, omniaq; pecora & cunctam suppellectilem: quidquid habere potuerunt depopulati sunt: tam vrbes quàm viculos, & castella flamma consumpsit. Et tulerunt prædam, & vniuersa quæ ceperant tam ex hominibus quàm ex iumentis, & adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum Sacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Israel, reliqua autem vtenilia portauerunt ad castra in campis tribus Moab, iuxta Iordanem contra Iericho. Egressi sunt autem Moyses & Eleazar Sacerdos, & omnes Principes Synagoga in occursum eorum extra castra. Iratusq; Moyses Principibus exercitus, tribunis & centurionibus, qui venerant de bello, ait, cur sceminas reserastis? Nonne illa sunt, quæ ceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuicari

Fraudes bello vindicantur.

*In fo-
stis
lum*

*Soci-
iust-
de fo*

per fecerunt in Dominum super peccato Phagor, unde percussus est populus? Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini etiam in paruulis, & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate. Bellum hoc ante Deus decreuit Num. 25. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Hostes vos sentiant Madianita, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decipere insidis per idolum Phogor, & Cozbi filiam Ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plage, pro sacrilegio Phogor.

§. 8. Nec modo iustum bellum esse necesse est, sed ut recte geratur, dolendum sapienti dari causam iustum bellorum, qui enim cupide etiam iustam causam arripiunt, gaudentque datam occasionem, aliud quiduis potius quam iustitiam querunt: ita comparati erant ante secundum bellum Punicum tam Romani, quam Pœni, hi enim cum pacem & bellum ferre se diceret legatus. Vtrum mallet dare iusserunt, & ille bellum non sine terrore è sinu effudit. Melius Augustus, qui, ut scribit Suet. c. 20. nulli genti sine iustis, & necessarijs causis bellum intulit. Non enim augendo, sed tuendo imperio inuigilabat. Ideo inferre bellum quietis noluit, & inferri doluit.

In socios hostium est bellum iustum.

§. 9. Iustum etiam bellum est in eos, qui hostem in bello iniusto adiuuerunt: ea causa Romani tum sepe, tum verò Picentes, & Salentinos, quia arma pro Tarentinis gesserant, domuerunt. Contra Philippum Macedonem bellum decreuerunt, quod sibi fœdere dominantem in Italia Annibalem sociat, quamuis & Athenarum preces eo impellerent. Etolis quoque bellum illatum est, quod ab Antiocho steterant, eadem causa & Histri subjugati sunt, quia Etolos adiuuerant. In eadem causa fuere Gallogræci, qui in castris Antiochi fuisset dicebantur, sed causam belli non approbavit Senatus, quocirca & Manlio victori negatus est triumphus. Multa itaque gentes Syriaci belli ruinam secuta sunt. Secundi belli Macedonici contagio traxit Illyricos, & hæc quasi catena dum omnes confcios persequitur, Romanus orbem sibi subdidit, causas præbentibus populis, aut exquirenti Romano.

Verum ad hoc bellum, quo hostium *σύνμαχος*, siue socij impetuntur, ut iustum sit, duo requiruntur. Primum ut verè adiuuerint, non modo fuerint. Neque enim si Spartani Atheniensium hostes sunt, ideo quoque ab eorum amicitia recedere Thebanos oportet. Cum enim liberi sint, amare possunt, quos Spartani oderunt. Hanc ob causam bellum Creticum iniustum fuit. Creticum bellum, si verè fateri volumus, inquit Flor. l. 3. c. 7. nos fecimus, solâ vincendi nobis infulam cupiditate. Fauisse Mithridati videbatur, hoc placuit armis vindicare, & quod iniquus fuit, seu in captivos consultum est, ut veneno se periret, conficerent. Alterum est, ut subditi hostium non fuerint, & causa belli ipsis clara non fuerit. Si enim dubia belli causa ex fœdere socijs, arma, commeatibus præstare debuerunt, cum innocentes iudicandi sint, finito jam bello vexari non debent.

Sociorum iusta causa defendenda

§. 10. Non modo iustissima, sed etiam speciosissima causa bellandi est, cum socij defenduntur. Ita populus Romanus precibus Campaniæ motus, non pro se, sed quod speciosius est, pro socijs Samnites inuadit. Qua quidem in re hoc quoque animaduertendum est, ut sociorum causa sit iusta.

Pulchrè D. Chrysost. in Psal. 134. Dextras à Deo habemus, ut & nobis ipsis, & alijs iniuria afflictis opem feramus, ut scelera de medio auferamus, ut his quibus violentia, & detrimentum adferunt, portus simus & refugium. Quomodo igitur eis venia dabitur, qui his armis non ad salutem, sed ad aliorum perniciem viuunt? Atque hoc est, quod lib. 4. de Rep. monet Cicero. Nullum bellum suscipi ab optima ciuitate, nisi pro salute vel fide. Fides enim socijs præstanda est, ne opprimi sinantur. Qua in re videndum, ne sociorum iniquas causas defendamus. Nonnulli v. militum adeo improbi sunt, ut vsusque deique ferant, ju-

stane, an mala causa agatur. Ipsi inferis, auctorati nummo, seruiunt; quibus haud temere Princeps vetetur, quia si ex aduerso pecunia ostenderetur, mox transfugæ in hostilia castra migrabunt. Illis enim hoc in animo est:

Ibisas, vbi maxima merces.

§. 11. Quamuis ita milites non æstiment suis momentis, neque Principes, iustitia tamen requirit, ut in bello iniusto damna refarciant Dux, & milites. In dubio, ordinariè Princeps, quia accuratius rem exquirere debuit, si non sine sua culpa dubitauit. Deinde consiliarij, quorum ignorantia inexcusabilis est. Milites id solum restituere debent, quo facti sunt ditiores. Si quorum militum culpabilis fuit error, omnia, quæ abstulerunt, reddere tenentur.

CAPUT VII.

Causæ belli quedam specialius expositæ.

§. 1. Omnes causæ belli, vel ad defensionem, vel damni reparationem, vel vltionem injuriæ Deo hominibusque illatæ, tam pro Republ. propriâ, quam pro socijs referri possunt. Quia tamen in his varia est species, grauitasque injuriarum: De quibusdam causis, ex quibus ingentia bella sunt orta, dicam. Legatorum injuria, grauium bellorum causa fuit, eaque iustissima, quæ est contra jus gentium. Si n. legatus tutus non sit, pacis & reconciliationis spes absconditur. Tarentini legationem Romanâ de læsis ciuib. ferentem querelam, fœde per obscenam turpemque dictu contumeliam violant. Flor. l. 4. c. 8. sed victi magnis prælijs, nequicquam impiam causam tutante Pyrrho, flagitium seruitutis luerunt. Simulque Picentes & Salentini in ditionem venerunt. Illyrij deinde legatos securi tanquam victimas ceciderunt, sed strictè post victoriam in Principum colla securis, legatorum manibus litauerunt. Corintho etiam exitium attulit, quod legati Romani, incertum an manu, certè oratione violati essent. Bellum grauissimum & funestissimum exitio gentis cum Ammonitis gessit Rex David. Causa quæ legatos amicitia & solatijs causa, missos violauit Hannon 2. Reg. c. 10. 4. Tulit itaque Hannon seruos David, raptisque dimidiam partem barba eorum, & præcidit vestes eorum medias usque, ad nates, & dimisit eos. Quod verò detestabilius erat, conduxerunt contra Davidem auxilia Syrorum, bellumque intulerunt, nam præter eos, qui filios Ammon iuuabant, quorum erant 33000. Adarezer ingentem multitudinem adduxit, ex quâ David cecidit 700. currus, & 40000. equitum. Postquam autem vicit Rabbath filiorum Ammon valde in victoria, Dei iussu tamen, seuerus fuit. 2. Reg. 12. 31. Populum quoque eius adducens serauit, & circumegit super eos ferrea carpenta: diuisitque cultros, & traduxit in typo laterum: sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon: & reuersus est David & omnis exercitus in Ierusalem.

Ob legatos violatos iustum bellum.

§. 3. Causa cur Roma filia cum Alba matre pugnavit, nulla fuit legitima, at uterque populus, populus cognatus afflictus est, ut fessii malorum, ut in tres Horatios, & Curiatios discrimen publicum imponent, quinque cecidere, & sextus innocentem sororem, per se victimam dedit. Causa (belli) dicatur, inquit S. August. l. 3. c. 14. de ciuit. Dei, sicut Troia adulterium dicebatur, nulla talis, nulla similis inuenitur. Tantum ut resides moueret, Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis, agmina. Illo itaque vitio tantum scelus perpetratum est, socialis belli, atque cognati. Turpe sanè latrocinium exercitij tantum causa bellare.

Exercitij causa bellare iniustum.

§. 3. Quidam etiam nulla alia causa mouentur ad arma, quam hostium imbecillitate, vel contemptu, alias quidem causas habent, ut velint, sed ut audeant, fortuna hostium facit. Si Princeps imbecilla sit ætate vel ingenio, si populus ab illo alienior. Si passa

Rrr 4 in